



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivlii Cæsaris|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||**

**Scaliger, Julius Caesar**

**Lugduni Batavorum, 1600**

Ad Dianam Valentinam Principem Pictonicam Sanctovalerianam Præfatio  
in \*\*\* nomine amici XCIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)



AD DIANAM VALENTINAM  
 PRINCIPEM PICTONICAM  
 SANCTOVALERIANAM

*Prefatio in* \* \* \* *nomi-*  
*ne amici* XCIII.

**E**TSI meum consilium tibi satis probarem, si Godofredi Calmontii iussu, cuius plurimum apud me valet auctoritas, hunc laborem tibi dicatum dicerem, qui multa nobis solitus est iucunde narrare de tua in literatos omnes benevolentia: tamen vereor ut expectationi tuæ, quam ille de nobis apud te excitavit, satisfecerim. mihi certe ipse non satisfeci. Multa enim erant, quæ negotium mihi facefferent in huius libri interpretatione. Genus insolens dicendi, translationes longe petitæ, versus poetarum inculcati, prolixæ compræhensiones, trajectio verborum, totus consecutionis ordo perturbatus, non pauca inter se parum cohærentia. Huc accessit, quod unico exemplari eoque Germanico utebar, tam foede pluribus locis deprauato, ut sæpius diuinandum fuerit. In quo quantum sudarim, testis est optimus Calmontius ipse, homo cum acri iudicio, tum singulari doctrina: qui cum ista, hospiti tum meo do-

T 3 mi



mi meæ, communicabam cottidie: qui veltut a me pensum exigeret, manum de tabulane tollerem, curabat conscius desidiæ meæ, a quo iampridem didicerat facilius absolui instituta, quam interrupta contexi. Quid profecerim, tuum erit æstimare. Volui quidem certe lucem multis locis afferre. sed hoc maius est, quam vt optari a quocquam mediocriter erudito debeat. Tu vero, Heroïna, quæ principatum obtines in ordine amplissimo non tam specie & opinione vulgi, quam re & consilio prudentum, melius hæc & commodius ab aliis explicata audire potuisti. Operam hanc tamen tibi impensam pro tua humanitate boni consules. Vale.

IULIVS CÆSAR SCALIGER

ATTICO S. XCIII.

\* \* \*

**A**RBITROR te Doleti vidisse dialogum, quem non puduit extantibus scriptis meis, flexu alio orationis omnia mea suffurari, atque ineptissimis inurere calamistris. Itaque eadem quæ in orationibus intemperix, stilus paulominus asper, sed emendicatus: vt verbis potius alienis conquisitis atque corrogatis, quam oblato argumento  
eius